

Corn. Pauus: quorum hic Anacreontis odaria edidit, anno secundo, et tricesimo, huius saeculi, Traiecti ad Rhenum, quaternis, ita, vt addiderit copiosas notas, in quibus multa comparent, et certa, vestigia acuti cuiusdam ingenii, et iudicii subtilis, nec mediocris Graecarum literarum scientiae.<sup>47</sup> Certe magna, non tam reprehensionum iustarum, quam acerbissimorum conuiciorum, pars, quae Doruillius fudit in bonum Pauum, vana est, et inanis, quam facile appareat exaestuasse, vt fit, ex animo commotabile feruenti. Caeterum video, etiam alios horum odariorum editores saeculi superioris reddidisse in exemplis suis fere textum Stephanianum: quo in numero sunt Frider. Hermanus Flaiderus; Flanderum male nominat Bodonius;<sup>48</sup> qui, anno secundo, et vicesimo, istius saeculi, odaria Anacreontis, eorumque fragmenta, versione Latina triplici, hoc est, sua, Stephaniana, Andreaeiana, notisque, illustrata Tubingae, duodenis, edidit;<sup>49</sup> Ioh. item Armandus Buthil-

Et primae quidem editionis exemplar fuit in bibliotheca Menckuenia: secundae in bibliotheca Badenhauptia, et Solgeria [vid. Catal. librorum bibl. Solger. To. 1. p. 190.]: sed vtriusque exemplaria habet bibliotheca principalis Dresenensis. Descripta enim sunt vtriusque editionis exemplaria tantum centum: quae fere omnia in bibliothecas Britanorum migrauerunt, ita, vt mirandum non sit, ea in Germanorum orbe esse rara non minus, quam cara. Illud quidem exemplar, quod in bibliotheca Menckuenia fuit, venditum esse scimus septem numis Vallensibus. Prima editio ipsa obseruatt. miscell. Belgg. p. 5. Vol. 5. vocatur *editio maioris voluminis, et pretii, quam utilitatis, vel eruditionis*: sed eadem haec sententia de secunda quoque editione ferri debet. At prior tamen editio praestat poste-

riori. Etenim haec quidem, praeter textum Graecum, Latinasque Stephani, et Andreae, versiones odarum quinque, et quinquaginta, nil fere continet, nisi scholia Buthillierii Graeca, et in ea obseruationes quasdam: sed illa, praeter odas omnes, earumque versionem Latinam, et fragmenta, et epigrammata, et summam animaduersionum interpetum superiorum prope modum omnium, disputatiunculamque de vita Anacreontis, et metris odariorum eius, complectitur etiam indicem verborum Graecorum studiis lectorum admodum utilem.

47. Vid. Acta erudit. Lipsiensia A. C. 1732. p. 202. — 205.

48. Prolegg. p. 53.

49. Flaiderus recepit nonnullis in locis, vel coniecturas Stephani, vel lectiones ab eo in notis allatas: